

definitionis modus. Sic igitur veteres praecipunt: quum sumseris ea, quae sunt ei rei, quam definire velis, cum aliis communia, usque eo persequi, dum proprium efficiatur, quod nullam in aliam rem transferri possit. Ut hoc, *Hereditas est pecunia*, commune adhuc; multa enim genera sunt pecuniae. Adde quod sequitur: *quae morte alicujus ad quempiam pervenit*. Nondum est definitio: multis enim modis sine hereditate teneri pecuniae mortuorum possunt. Unum adde verbum: *jure*. Jam a communitate res disjuncta videbitur, ut sit explicata definitio sic: *Hereditas est pecunia, quae morte alicujus ad quempiam pervenit jure*. Nondum est satis. Adde, *nec ea aut legata testamento, aut possessione retenta*; confectum est. Itemque, ut illud: *Gentiles sunt, qui inter se eodem nomine sunt*. Non est satis. *Qui ab ingenuis oriundi sunt*. Nec id quidem satis est. *Quorum majorum nemo servitutem servivit*. Abest etiam nunc. *Qui capite non sunt deminuti*. Hoc fortasse satis est. Nihil enim video Scaevolam, pontificem, ad hanc definitionem addidisse. Atque haec ratio valet in utroque genere definitionum, sive id, quod est, sive id, quod intelligitur, definiendum est.

De orat II. 25. Jam *quid vocetur*, quaeritur, quum, quo verbo quid appellandum sit, contenditur: ut mihi ipsi cum hoc Sulpicio fuit in Norbani causa summa contentio. Pleraque enim de iis, quae ab isto objiciebantur, quum confiterer, tamen ab illo majestatem minutam negabam; ex quo verbo, lege Appuleia, tota illa causa pendebat. Atque in hoc genere causarum nonnulli praecipunt, ut verbum illud, quod causam facit, lucide, absolute, breviter uterque definiat. Quod mihi quidem perquam puerile videri solet. Alia est enim, quum inter doctos homines de iis ipsis rebus, quae versantur in artibus, disputatur, verborum definitio: ut, quum quaeritur, quid sit ars, quid sit lex, quid sit civitas. In quibus hoc praecipit ratio atque doctrina, ut vis ejus rei, quam definias, sic exprimat, ut neque absit quidquam,